


DE BELLO ADVERSVS

Turcas suscipiendo, Stanislai Orzechowski ad Equites Polonos

ORATIO.

SI quod vnquam tempus fuit Equites, quo vos de fortunis vestris, ac de vestra, cõiugum, liberorumq́ vestrorum salute consulere oportuit, hoc pręsẽs profecto huiusmodi est, ut mentes vestras à cęterarum rerum cura reuocare ad se debeat, si salui cum fortunis, coniugibus, liberisq́ vestris esse vultis. Et enim Solymannum Turcarum tyrannum, Vngarię deuicto regno, ac insolita elatũ victoria, vobis rebusq́ vestris imminere sciatis. Nõ enim sperat se ijs rebus, quas per vim obtinuit, diu frui posse, vobis saluis. Audit Amuratũ auũ sępius pulsum ex Vngaria à maioribus vestris, Ladislao duce: cęsos sępe in Valachię regno exercitus suos à vobis recordať: scit nihil vnquã sibi licere, quod illi armis vestris sit negatũ. Itaq́ cum inuitis vobis imperium ad Septẽtriõis oras promouere nõ posset, fœdere uos atq́ societate irretiuit. Ita religione falsi fœderis cum decepisset vos, Albam primo Gręcam

tam cœpit: postea Varadinum, tum Ludoui
cum occidit, mox Budam euertit, inde Au-
striam, Styriam, Carynthiam, depopulatus,
eoq; modo quo voluit rebus omnibus vsus,
in Vngariam est reuersus, & cum ipse suas
omnia agendo infirmasset vires, vt aliquãdo
fessus se atq; suos reficeret, Regnũ Ioanni ꝑ-
misit, quo nuper defũcto, maioribus copijs
quàm vnq; ante hac Vngariam hisce diebus
paucis ingressus, cęso ad internitionem Ferdi
nandi exercitu, Regno rebusq; est potitus.
Sed quorsum hęc? vt cognoscatis Equites,
& quod metu vestri sublato tantas res Soly
mannus gesserit, quãtas Turcarum Rex añ
illum nemo, & quod ad summã sui imperij
vos solos sibi obstare videt: fœderi ipse suo,
quod adempta vobis per fraudem Valachia
violauit, nihil fidit: intelligit commune cũ cę-
teris Christianis esse vestrũ in se odiũ, sentit
clade Vngarica mœrere vos, tum vero illa,
quę etiam priuatorum amicitias dissoluunt,
quod non religio, non ritus, nõ Deus deniq;
nobis cum illo communis est. Quamobrem
maleuolus est vobis Equites, infensus Reip.
sedium atq; fortunarum vestrarũ hostis, ad-
dam etiam, & Diuis, qui huic regno presũt,
inimicus. Iam vero libertatẽ, pulcherrimamq;

cõstitutionem vestri imperij, quo tandẽ ani-
mo Tyrannum ferre putatis, qui neminem
oppugnat nisi liberũ, neminẽ defẽdit nisi ser-
uũ: Oĩa mihi credite, quę agit, et q̃ molit̃, huc
spectant, ne vos opem ferendo vicinis vestris
salui sitis cum illis, Atq; hoc adeò ita conside
rate. Nemo, per Deum vos oro, atq; obte-
stor Equites, contemnat ea quę à me de cõ-
muni periculo dicũtur, immò vero in tanta
omniũ rerũ perturbatiõe fortunę vestrę tri-
buat, si quid nobis quoq; succurrat, quod ad
salutem cõmunem pertineat. Sic itaq; cogita
te. Regnare Solymãnus vult, totum Septen-
trionem cupiditate amplectitur, vestras vires
metuit, vos crebro intuetur: quocirca fœdere
ad tempus ementito vos occupauit. Deinde
Valachiam, vestrã prouinciam, quasi arcem
quãdam contra vos muniuit, vt partim religi
one fœderum, partim Valachici belli metu
om̃es vestros ĩpetus retardaret. Quare mox
Vngariam, fœdere suo à vobis auulsam, ita
crudeliter de medio sustulit, vt multarum vr-
bium ne vestigia quidem supersint, vbi pri-
us fuerũt habitatę. Quid Austria, quomodo
nunc est? quę tot cladibus ab ipso fatigata, sa
lutem iam propemodum desperauit. Quid e-
go nũc cęteras gentes, atq; nationes cõmemo

rem, quę vestro foedere in illius venerũt potẽ
statem? Atqui ego libenter ex ijs quęrerem,
qui negant formidandũ esse vobis Turcarũ
Tyrannum, cum nulla gens, nulla natio, non
Gręcia, non Latium, nõ vlla terra barbara ip
sius capiat cupiditatem, & cum omnes circũ-
iens, quasi febris quędam, hos intermittẽs, il-
los adoriens, alios fœdere ad tempus, alios ar
mis continẽs, cum inquam ita omnes oppres-
serit, quis prohibebit? quin huc bellũ in Polo
niam trãsferat, & in nos spe fœderis supinos,
atq; oscitantes, robustior quam ante irruat?
quis hoc nobis persuadebit? aut quis Deus,
neq; enim homo sufficit, sponsor nobis pacis
erit cũ illo ęternę? Nos scilicet in tanto suo im
perio incolumes esse volet, nobis scepusiũ cõ
cedet, nobis Halicense territorium permittet.
Vereor profecto Equites, ne opiniõe nostra
prius illũ in Polonia videamus, quàm Au-
striã expugnatam ab illo audiamus: quod ita
colligite, Animaduertit oportunam sibi esse
ad omnia Poloniam, Valachiam vero, atq;
Scytiã, videt sibi forè inutiles, nisi vno cũ Po
lonia coniungantur imperij sui nomine. Quo
ẽm ille pacto Valachis contra Germanos v-
tetur, aut Scytis, negato illis à nobis transitu?
quare vt habeat istas subsidiarias natiões, aut

iter per poloniam liberũ illis petet, quod vos
sine nephario scelere, atq; proditiõis nota, cõ-
cedere illi non potestis, aut si hoc illi negaue-
ritis, armis viam auxiliaribus suis patefaciat
necesse est. Et adhuc quidã ea temeritate sũt,
vt vobis in bello aperto pacem Turcicã pro-
ponant: quasi vero hęc, quę Solymannus cõ
tra vos molitur, bellum ab illo non geri, sed à
vobis sperari nobis denuncient. Etẽm non is
solum bellum gerit mecũ qui iam in acie ver-
satur, & cuius tormẽto murus meus quatitur
sed etiam is, qui ea comparat, quibus ego
capi possum, bellum gerit mecum. Etenim
quęro, Valachiam nobis adimens, pacemnè
profitetur an bellum? Deinde vero cum illas
munitiones ad Nestri flumen agat, & arcem
in ipso regni vestri limine muniat, non bellũ
inde vobis palam denunciat? multa volẽs p̃-
tereo. Vngaria cui nuper erepta? non nepoti
regis vestri? cuius iniuriam, vestrã contume
liam putare debetis Equites, Hęc quęso quę
dixi pacis ne sunt, an potius belli? nisi forte tũ
demum bellum nobis facere videbitur, cum
singulos nos oppresserit, seruumq; suum seor
sum quemlibet nostrũ reddiderit. An est quis-
quam, per Deos immortales, ita demens, qui
hostem à socio, bellum à pace verbis secernat

non rebus? hoc profecto omnibus pecunijs
quas habet Solymannus emet, ne adempta
vobis Valachia, extructa arce, erepta Vngari
a, bellum vobis inferre videatur. Atqui si hoc
expectamus, vt bellũ palam profiteatur, om-
nium sumus incautissimi, Equites. Nunquã
mihi credite, etiam si Cracouiam oppugnet,
bellum facere se nobis fatebitur. Cuius rei ex
ijs quę in alijs commisit: coniecturã capiamus
Gręciam intestinis ęgrotam odijs cũ caperet,
dixit se pacem illi regno adferre, & finem do-
mesticis discordijs imponere. Illiriam etiam,
cũ contra Venetos gẽti illi auxilia submitte-
ret, non vniuersam occupauit? Valachiã ve-
ro quomodo possedit? pudet dicere Equites:
à qua cum mille passus vix abesset, legatis ue
stris respondit, se pręsto adesse, ideo cum exer
citu, vt delinquentẽ in vos Petrũ corrigeret.
Pulchre vero correxit. Nam ob delictum cre
do ipsius vos Valachia priuauit. Vngariam
vero miserum, atq; calamitosum regnũ, dici
non potest qua arte occupauerit. Quam frau
dis quęso personã non sumpsit, dum illud pe-
tit regnum? cum Ioannem in regnũ reduce-
ret, cũ se tutorem eius filio vltro offerret, cum
nuper reginã cũ paruo filio, & Senatu, obsi-
dione Budensi liberaret, in omnes profe-

cto mutatus est formas, dum Tyrannidem
suam in florentissimo regno, atq; libero con-
stituit. Hęc regna ille, tot ac tantas nationes,
dolo quàm bello vincere maluit, vobis solis
cum patre patrato, credo, et cũ ipsis si dijs pla
cet fœcialibus, bellum indicet? pręsertim cũ
arte vos facilius possit vincere quàm armis.
Fallimur Equites, Pręcipitem illum ferri, &
cœcum in tanto rerũ successu putarem, si cũ
vos neq; Valachię casus, neq; Vngarię cala-
mitas, neq; vicina seruitus, commoueat, vo-
bis ille suis manibus arma contra se induat,
vobis suorum spem fœderũ adimat, qua lan-
guere vos, & imparatos contra vim suã esse
intelligit. Non est ita Equites, non est: tenebit
hac vos spe Solymannus quoad poterit, vt cũ
per finitimos vestros impunè fuerit grassatus
vos postremo inter oscitãtes opprimat. Quid
igitur expectatis? aut qua spe salutis tenemi-
ni? quo confugietis? quem deniq; deorũ atq;
hominum implorabitis? si vos ipsos nunc de-
seritis? & si tempus hoc vobis cœlitus demis-
sum dimittitis libertatis retinendę? Cognosci
te dei in vos beneuolentiam Equites, quã cũ
alias sępe in rebus dubijs, atq; asperis huic re-
gno ostendit, tum vel maximè in hac cõmu-
ni calamitate. Christianorũ omnium apertè

demonstrauit, quod potentissimas bellicosissimasq́ Germanorum nationes clade hac recenti aduersus hostem vestrū excitauit. Hoc quanti est Equites? aut quomodo non singulari Dei in vos beneficentię tribuendum? vt iam in manu vestra sit, Solymanni insidiosa societate reiecta, uos ex ijs fœderum laqueis quibus vos circū retiuit, exuere, & saluti vestrę aliquando consulere. Tu igitur bellum suades, dicet quispiam. Ego vero si in vobis situm esse viderem, vt arbitrio vestro pacem geratis & bellum, inique facerem Equites, si vos à certa pace ad incertam victoriā traducerē, verum cum hęc duo proposita esse vobis videam, & nihil pręterea tertium, vt aut cum Germanis coniunctis armis salui sitis, aut domi seruitutem miseram, tetramq́ expectetis, non ad bellum vos ego voco, sed vt imminētem seruitutem depellatis moneo, qua cum nihil homini peius accidat, tamē in primis vobis, ad libertatem & imperiū natis, intollerabilis est Equites, Vos enim ex omnibus propemodum gentibus verè in libera Republica estis nati. Hęc enim demum vera libertas putanda est, in qua omnes serui sunt legum, dominus vero nemo, quo fit, vti sicut libertate, ita etiam dignitate omnes sitis pares. Eiecta

cta sunt ex vestra Republica: illa vt ambitiosa ita seditiosa nomina, dux, comes, princeps, vno omnes nomine vt estis, ita appellamini Equites. Quare mirum non est maiores nostros in aperta sępe esse pericula pro ea Rep. cuius ex ęquo omnes erant participes. Quę enim vis alia Germaniam deuicit Iagellone duce? vnde ille extitit impetus, qui Moschouiam, Scithiam, Valachiam, tot ac tantas & vndiq́ huic Regno imminentes nationes toties repressit? quę potentia illa fuit? vnde porro inuenta, quę ad pacem petendam Turcarum Tyrannum sępe coëgit? Erat in illis viris quod illos feros & indomitos in hostem reddebat: quid? nihil reconditi, & pręter opinionem Equites Libertatis amor, Quę cum versaretur illis ante oculos, nulla foris gens, nullus domi Tyrannus, eorum impetus sustinere potuerunt, qui, si quis mortuis sensus est vos orant ac obtestantur Equites, per cineres cęsorum in Valachia maiorū vestrorum, per in Russia occisorum manes, per moschouicos tumulos, ne hanc libertatem, hāc Rēp. quam illi vobis sanguine pepererūt suo, Turcicę prodatis libidini. Putate illos coram hic adesse, & hęc vobis dicere. Quo ruitis Equites Poloni? quo exemplo adducti, fidem Tur

cicam

cicam estis secuti? ecquam gentem? quod regnum? quod oppidum? quē denicꝫ priuatim & publice hoc Tyranno sine exiciali malo vsū esse scitis? an demētes putatis fuisse nos, ꝗ illius fœdus sēper cauimus, societatē nunꝗ̄ appetiuimus? quid in tam fœda & immani belua vidistis? num mores traxerūt ad illum vos? num officia? num fides? nihil horum, qd igit? vt ocio scilicet cōsuleretis vr̄o. Ita ne verò? nos in bello occubuimus, vt esset quod vobis morte nostra partum Turcarū Tyrannus in ocio eriperet? Hęc si vobiscum agerēt maiores vestri, recta iam hinc, qui vester pudor est, arreptis armis iretis in hostem, neque tantę repręhensionis infamiam sustineretis. At cum pręsentes, non possunt, mortui vobis patriam suam in qua nati sunt ostentant, vobis senes amicos, vobis nurus, vobis paruos suos commendant nepotes.

Nolite per Deos immortales Equites hunc illorū cineri dolorem inurere, vt hāc Rempub. pro qua illi mortui sūt, immanissimo hosti prodatis. Proponite vobis ante oculos, quę facies rerū, quę cōditio vr̄a futura sit, victore Tyranno: infœlices vestras coniuges, erūnosos liberos, vestras contumelias, animo iā nūc perpendite: tum etiam quales dominos simus habituri

habituri cogitate: qui hūani generis tales hostes sunt, vt in furorem agantur hominū occursu, vultum illorum, atcꝫ habitum recordamini, quàm ferus sit, & barbarus, ꝗ̄ minarum plenus, more pecudum caput tonsū, atcꝫ linteis inuolutum, minax semper frons, furiosa facies, truces oculi, detonsa barba, labrum ferali conuestitum pilo, inhumanum os, furore, libidine, & amentia plenum, ad hęc, mollis, & ad talos demissa vestis, totum tegens corpus, ne qua forte pars in ijs appareat homine digna. Huiusmodi dominis, non ager erit tuus, non victus, non vxor, non liberi, erunt tua, idem erit necis, & vitę dominus, nō lege sed fuste, carcere, cathena, verberibus te ad omnes te suas consuefaciet libidines. Quid verò illa, quę morte acerbiorem reddunt seruitutem, quod templa Dei viuētis IESV CHRISTI religionibus consecrata, Machometico impuro fœdabit cultu: quod aras memorię CHRISTI mortis dicatas prophanabit omni scelere: vobis pœna capitis cultum Machometi pręscribet: ad aras Machometicas, tēplacꝫ eius ducemini: liberos vestros ex sinu vr̄o abripiēt ad īpietatē suę religiōis. Vos etiam ipsos spretos, contemptos, viles, & abiectos, nouis initiatos sacris pro spectaculo circū-

lo circumducent, ac vos Syris Saracenis, Iu-
dęis deridendos prębebunt: quod ne nobis ac
cidet Equites mori millies satius est, coniuges
etiam, liberos, nos, nostraq́ꝫ in ignē abijcere,
quàm tantę crudelitati ferocissimi hostis con
cedere. Aspicite aspicite Equites hanc imbellē
senum, mulierum, sacerdotum, infantumq́ꝫ
turbam, qui vobis cum lachrymis ad pedes
proiecti iacent, vobis supplices manus tendūt,
vos orant obtestanturq́ꝫ, vt si armis tueri se
non vultis, igne exuratis infœlicia corpora,
vt ita flamma atqꝫ incendio domestico à pa-
rentibus, vxoribus, ac liberis vestris, libidinē
& stupra Turcica depellatis, Quod huius-
modi monstrum vnquam natura tulit, quod
portentum, Dij immortales, vltima terrarū
sola vnquam genuerunt tale, quàm ista est
Syrtis, atqꝫ Charybdis pudicitię, religionis,
ac omnis honestę vitę? qui ita cœcus amen-
tia, pręceps libidine, īcitatꝰ furore fert̄, vt cū ī
audita, neqꝫ dicēda libidīe, oīa claustra pudo
ris aliorū & pudicitię ꝑfregerit, ipse nulli par
ti sui corporis postremo pepercit. Quid igitur
si seruiemus tā tetro, fœdoq́ꝫ domino, quid
inquam seruitutem solabitur nostram? nihil
est Equites: non est nouū seruire vni, sed hoc
nouum seruitutis genus est & ante hac inau
ditum, in qua pecudum conditione deterior

sit futura tua. Paruit orbis terrarum Roma-
nis, seruiuit Assirijs, subiectus fuit Persis, Sed
tamen & Persarū disciplina & dignitate As-
syriorum, & humanitate Romanorum, rele
uabatur dolor amissę libertatis, hoc uero Ty
ranno, si orbis terrarum cadet, quę lux solatij
qui odor, recreabit nos? num humanitatē ab
hominum hoste? num dignitatem ex incerto
patre nato? num ab effreni disciplinam, & à
barbaro expectabimus doctrinam? illa Ma-
chometica sunt: flagiciosa luxuries, inhuma-
na crudelitas, contumeliosa superbia, seruitus
non ferenda: quorum solacia illa sunt postre-
ma, dolor, mœror, gemitus. Nolite quęso E-
quites breuitate orationis meę magnitudinē
& atrocitatem Turcicę ponderare seruitutis,
neqꝫ verbis meis contenti sitis, quorū omnē
vim consumpsi, dū tot horas dico de ijs, quę
minora sunt pręillis, quę cogito, & quę ver
bis ita vt sentio explicare nequeo, quę vos ve
stra sponte cognoscetis, si Vngariam vobis
añ oculos posueritis, quę ita miserabilis est,
vt neqꝫ mea, quę nulla est, neqꝫ cuiusquam,
ad inflammandos vestros contra hostem ve-
strum animos, eloquentia requiratur. Sed vi
deo versari quandam inter vos opinionem,
quę vos in hostem penè iam euntes remora-
tur.

ratur. Turcarum videlicet Tyrannum vinci non posse, cui loco diligenter occurrendum est, ne inani desperatiõe occasionem bene gerendę rei prętermittatis.

Ego enim cum videam non cum Dijs, sed cum homine bellũ esse nobis, planè nõ idem sentio, quod multi: vinciq́ꝫ Solimãnũ puto, si non aliò, tamen certe illo, quod ad erigendos vestros animos sufficit, quod ea recta sit sors, vt quę esse poterant, dum non erant, illa etiã ipsa possunt non esse, dum sunt: quę cum ita dicerẽ, satis facerẽ vobis pro vestra prudentia Equites, neq́ꝫ alia argumẽta à me expectaretis, sed video quid susceperim; nõ vultis tritis hisce, & obsoletis argumẽtis expugnari à me potentiam Turcicã, proprijs illũ suisq́ꝫ criminibus conuincam necesse est. Ita faciam, vos quod adhuc fecistis me attente, diligẽterq́ꝫ audiatis. Et si multa sint Equites, quę quã infirma sit, quamq́ꝫ vacillãs Turcica Tyrãnis demonstrent, à me tamẽ breuitatis causa hoc in loco prętermittentẽ: & ne quid fingere videamur, isti ipsi, qui contra disputãt, in medium procedãt, nos doceant, cur vinci hunc Tyrannum non putent. Si propterea ꝙ interdũ victorẽ eũ vident, faciunt ĩperitẽ, cũ victoriã ipsam, nõ victorię causas perpendũt. Etenim si victori-

si victoria adimit animũ victo, ne nobis quidem contra Scythas sit animus, ne sit contra Valachos, contra Moschos, quibus exercitus interdũ nostri cesserunt: sed si neq́ꝫ Socaliẽsis clades, neq́ꝫ Bucouina cędes, neq́ꝫ grauis ad Opocã iactura exercitus, vos deterruit, quin clarissimo viro, atq́ꝫ summo imperatore IOANNE Tarnouio, & Starodobo expugnato, strage ingenti Moscouiam sitis vlti, & ad Obertinũ memorabili victoria Valachos viceritis, & Scythia infinitos vobis postea de se triumphos prębuerit, hoc inquã si victus vobis inuictores vestros licuit, cur etiã in Turcica victoria vestrã quęrere victoriã vobis nõ licet? Videtis profecto Equites, qui mihi ad dicendũ campus detur, in quo meo modo possim excurrere, & multarũ gentium exemplis planũ facere, victores sępe seruiuisse victis: verũ cum res ipsa palã loquatur, nõ oportere ideo deficere nos, quod Turcarũ Tyrannus sępe victor fuerit, victoriam missam faciãt, caussas potius victorię nos doceant, quę si iustę sunt, si seruata fide, si saluo fœdere, si iusto bello Turcarum Rex vicerit, & ego illum formidandum censebo & quasi quendam inexpugnabilem Deũm vna cum istis admirabor; Sed si dolo, periurio, latrocinio,

 illum

illum ereuisse ostendero, neq; istis credatis q̃
huic aduersantur sententię, neq; victoriam
vestram disperetis. In quo illud primum quę
ro, vnde iste Solymānus sit? aut quod hoc no-
men ē Turca? vnde porrò natū? potest quis
mihi commonstrare parentes suos? equidem
multa legi, plura etiam audiui adolescens, ta-
men neq; ex sermone hominum, neq; ex an-
nalibus vetustatis eruere potui memoriā or-
tus sui. Subijcite quęso Equites si quid forte
me pręterit: euoluite Gręcorum, atq; Latino
rum annales, qui res gestas omniū gentium
diligentissime conscripserunt, neq; nationem
neq; gentem, neq; familiam, neq; postremo
hominem hoc nomine fuisse vnquàm reperi
etis. Hic igit̃ terrę filius nescio ex qua solitu-
dine, ac solis lucis emersus, potuit nullo splen-
dore generis nulla maiorum authoritate, nul-
lo fretus patre, potuit inquam bonis artibus,
ac legittimo bello, nō dico regnū, sed aliquod
vile mancipium acquirere? Sed tamen vicit.
Ego vobis dicam quomodo: Cognoscite soci
os vestros Equites: audite cuiusmodi domi-
nos simus habituri. Erat ex Arabia fugitiuo-
rum collecta manus, quę cum Machometū
desertorem Christianę religionis ducem cœ-
pisset, eius ipsius nepharia instituta, cum im-
pia

pia religione est sequuta: cuius illa summa fu
it, ne Christiano cęso, aliquam putarent Deo
gratiorem esse victimam. Habuit desertor il-
le dociles ad hanc sententiam discipulos. Nam
quod in Syria caput nostrę religionis esse sci
rent, mox vicina Syrię loca latrocinijs infe-
stare cœperunt. Fauit tum sors nescio quę fu
riosis illis, forte illa, quam denunciat nobis in
Deuteronomio Moses, cum dentes bestiarū
ob delicta immissurum in nos minatur De-
um: & certe isti rabidi canes vastarunt tum
ouile Christi, cum Christiani principes arma
ex Asia in mutuam suam conuerterant cędē.
Sic nudata Christianis pręsidijs Siria, cū Iu-
dęa & Hierosolymis, à Machometi discipu-
lis oppressa est: inde illis gradus imperij est fa-
ctus, si tamen imperium dicendum est quod
latrocinio comparatur. Asiam inquam, inde
Pamphiliam, Ciliciam, Capadociamq; cœ-
perunt. Post hęc dissensione Papali cum arde
ret Italia, Bysantium, atq; omnem Gręciam
Turca possedit, Aegyptum vero, dum Galli
cum Hispanis de Sicilia & de Neapoli con-
tendunt, occupauit. Quis in Rhodum floren
tissimam atq; opulentissimam insulam Tur-
cam introduxit, nisi Maximiliani Cęsaris, &
Venetorum internecinum odium? Iam vero

 Croatiā,

Croatiam, Dalmatiam, Vngariã, quis Turcis addixit, nisi Caroli Cęsaris cum Francisco Gallorum Rege fratricidium? sic enim est dicendum. Vngarię postremo dominus hisce diebus est factus. At quomodo factus? sine lachrymis dici non potest Equites. Dum diuisum esset regnũ, diuisus Senatus, distractus populus, Ioannis & Ferdinandi voluntate, ne dicam libidine regnãdi. Ergo adhuc video negligentia nostra, discordijs nostris, fraude vero, & latrocinio suo, Turcorum opes creuisse. O pręclarũ imperium. O metuendas opes. O arma inuicta, à quibus armatus lęsus est nemo: nemo nolens paruit, nemo cautus est deceptus, sed derelictę insulę, orę, portus, prouincię, insidijs, latrocinio, fraude, periurio, non armis, nõ bello, non pręlio, in Turcicam venerunt potestatẽ. Tu mihi eam victoriam obijcies, quã hosti volens cõcessi? ijs me terrebis armis, à quibus lęsus nõ sum nisi inermis? Hãc putabis esse inuictam potentiã, quę metu, & seruitute cœca, non minus domi quàm foris, alacrem libertate hostẽ reformidat? tu mihi non cogitas cõmunes belli causas? non recordaris quanta detrimẽta afferũt discordię ciuiles? non intelligis, quàm multũ prosit hosti, non subditis principem, nõ principi subdi

pi subditos coniũctos esse domi? sed perinde ac si virtute vicissent, neq; vlla commutatio rerum possit accidere, arma nobis, ne salutẽ armis quęramus, è manibus eripis? quid enĩ est, quo alio victorem Turcam fuisse aliquãdo putes, aut cur huius fundatas opes esse existimes? Sẽtit hic tyrãnus, Christianos, quos oppressit mœrere amissa religione. Intelligit Gręcos sapientes homines, maximeq; liberos cum auhores ipsi legum, morumq; humano generi fuissent, inuitos in tantis seruitutis tenebris sine legibus, atq; moribus turpiter viuere. Quid vero Macedonia, orbis terrarum quõdam domina, quo tandem animo in illũ est, cũ Philipos suos atq; Alexandros recordatur? Iam vero Croacia, Dalmacia, omnesq; cętere gentes, atq; nationes, quid aliud cogitant, nisi vt odore aliquo opis vestrę recreatę se erigant, & in tãta seruitute, salutẽ sibi quęrant? Sentiunt hoc idem quod & vos, imperium hoc Turcicũ infirmum esse, & quod fide & beneuolentia subditorum careat, stabile non esse. Et sanè ita est. Tempore Tyrãnorum stant res, non hominum fide, neq; voluntate: vi crescunt, occasione pereunt, nõ secus q̃ singula corporum nostrorũ incommoda latent sub bona valetudine, verum si qui

 grauior

grauior morbus inciderit, omnia etiam mi-
nima cum magno doloris sensu cōmouentur
Sic Tyrannorum iniuriȩ, atq; cōtumeliȩ de
litescunt in ipsius prosperitatis caligine, at si
quod bellū, si quȩ maior vis, si quȩ deniq; ca-
lamitas Tyrannidem inuaserit, tum demū cō
tra Tyrannū ipsius se efferunt delicta, tū de-
mum scelere ipse ruit suo. Nec iniuria. Cum
em̄ beneuolentia subditorum imperium con-
tinetur, tunc labores, tunc pericula homines
non recusant, tunc vitam pro principe ponūt,
id quod à vobis sȩpius est factitatum: quādo
vero malo, & mœtu, homines coacti serui-
unt, prima occasio, atq; minima offēsio, quā-
tumuis magnum imperiū dissoluit ac delet.
Non fert hȩc natura rerum, Deus etiam non
patitur, vt homo iniustus, periurus, mendax,
firmū imperium constituat, fundamento op-
est firmo, vero, & fideli vt in ȩdificio, sic ac
multo etiam magis in imperio quale nō sub-
est Tyrannidi Turcicȩ, sed conflata domina
tio quȩdam est, ex calamitosorū hominū tur-
ba, qui mœtu, cruciatu, supplicio, non sensū
sed linguam libertatis amiserunt. Quapropt
non est Equites cur eos qui Turcis seruiunt
metuatis: sanguis vester, fratres vestri sūt, eo-
dem crucis signo quo & vos insigniti: qui
vos gra-

vos graui seruitutis pressi pondere intuentur
vos per Christum Iesum, per sanguinē illius
pro vobis, atq; illis fusū, orant, obtestanturq;
ne se cruore Christi ablotos impietate Ma-
chometica fœdari sinatis. Veniat vobis ī mē
tem condicionis sortisq; cōmunis. Nolite cō-
mitere vt hanc calamitatem fratrum vestrorū
quasi grādinem in agro vicino, ociosi specte
tis. Verendum profectò vobis est, ne libertate
Christianorum à vobis neglecta, vna cum il
lis seruiatis. Sic Iacob seruiuit cū filijs, Ioseph
vendito Aegiptijs. Sic regnum amisit Saul
cum parceret Amaleco Israēlis hosti: Sic Iu-
dea despicacissime seruit, seruietq; semper, q̄d
Romano regno perterrita, Regnū Christi p
mouere noluit. Vlciscitur Deus semper ne-
glectam religionem, nec quauis pœna est cō-
tentus, sed delet de libro vitȩ & radicem ne-
gligentium ac styrpem de terra, cȩde, suppli-
cio, atq; seruitute tollit: cōtra vero, qui iusti-
ciȩ pietatiq; opem ferunt, nunq; deserit, semp
illis prȩsto est, semper manum illis supponit,
ne cadant. Pauci Hebrȩi, quot gentes Chana-
nȩas deleuerunt: paruus Dauid quantū pro-
strauit Goliad: Iudith imbellis fœmina ense
cruento abstulit Holofernis caput. Aderit
nobis Deus, Equites: hac tantum spe arma
 sumi

ſumite,vt fratres veſtros in libertatem Chri-
ſtianam vindicetis, pugnabit Deus ꝓ nobis
Illi etiam ipſi qui ſeruiũt,domeſtico motu ex
cutient iugum ſeruitutis, viſis armis veſtris
ita hęc Tyrannis. & veſtro & ſeruientium
fratrum veſtrorum labefacta motu, Deo no
bis propicio, corruet. Quod ſi quis adhuc
Solymannum viresqꝫ Turcicas metuit, ꝙd
exercitus ipſius maximam partem ex Turcis
conſtare videt, prudenter is quidem (Nihil
enim eſt temere audendum) ſed tamen me-
tus hic,ſi qui ſubeſt,tolli iam potuit,tot Chri
ſtianorum ſeruitute, quorum cũ ſit magnus
numerus,facile, vbi primum illis ſpes aliqua
noſtrę opis affulſerit,ipſi ſibi per ſe ad liberta
tem viam quęrent. Etenim vis Turcica per
ſe talis eſt, vt numero non ſit contemnenda,
genere vero non magnopere pertimeſcenda,
quę coniuncta cum hominibus captis terret
orbem :vt videtis, ipſa vero per ſe debilis eſt
ac omnium malorum plena, Nam ſi quis ex-
pēdat genus hoc totũ Turcicũ, non omnes ibi
natos,ſed etiam, & quidem maiorem partē,
Turcas ex Chriſtianis reperiet factos, quorũ
qui generoſa mente ſunt prędi ti, in mœrore
ſunt maximo,vrgenturqꝫ ſtimulo graui, ꝙd
libertate amiſſa,à fide quoqꝫ defecerunt. Ma
gnus

gnus hic metus eſt Equites, nolite hoc cõtem
nere,ſemper inſidet in proditoris mente,ſēper
ante oculos obuerſatur, nunquam conquie-
ſcit,ille ipſe Deus,exprobrat tacite ſcelus,per-
fidę menti, à qua eſt derelictus , furijs
atqꝫ intemperijs totum complet proditorem,
dies atqꝫ noctes conſceleratam mentem exagi
tans.Quid vero illa,parumne fodiunt animũ
quod auus, proauus, pater aliter vixerunt,
Chriſti aniqꝫ mortui ſũt?nihil ęque, mihi cre
dite,cruciat homines,quàm diſſimilitudo vi-
tę paternę,& pręſertim ſi ab ijs deficias. quo
rum virtus,authoritas,ſanctitas,multis ſœcu
lis fuerat comprobata.Poſſem multos profer
re,qui Venetijs,vrbe Italię clara,à me ſũt vi-
ſi,deſertores Chriſtianę religionis:nunq̃ hila-
res,ſed ſemper demiſſi ac triſtes,quorum qui-
dam ex Macedonia vir grauis,& vt videba-
tnr literatus homo,cum ex eo quęrerem,qua
ſpe tandem fidem Chriſti proderet, quo tecti
or,inquit,in Tyrannide contra iniuram ſim.
Qnid? redire non vis? ὄιχεται, inquit: quo
verbo ſpē abijſſe quęſtus ē. Infiniti ſũt tales,
de quibus vos vno exemplo ſtatuere poteſtis
ꝙd ad ſpem veſtrã ſolacio vobis eſſe debet.vir
magnus & memorabilis, ac omnibus hono-
ribus à tyrãno ornatus,Ibraimus Baſſa,nũ-
B v quam

quàm potuit obliuisci se ex Christianis esse ortum. Alter ille Solymannus erat, in cũcto imperio Turcico, ipse regibus deferebat pacẽ ipsius voluntate suscipiebat bellum, nihilq; à Tyranno cum illo non erat cõmunicatum, & tamen talis atq; tantus honorũ & gloriæ splendor, nunquam mœrorem derelictæ fidei obruere in illo potuit. Immo vero eo animo in bellum cum Tyrãno prodibat, vt suo pariter atq; Tyranni interitu libertatẽ Christianis in acie quæreret. Cumq; hic illius inuictus animus cœlari iam non posset, dãnatus proditionis, à Tyranno necatus est. Putatis hunc solum Ibraimum fuisse talem in tanta seruitute? multi sunt tales, & si cõditione dispares, animo certe illi pares, & haud scio an non multo etiam magis tyranno infensiores. Si enim Ibraimum non continuit cõmunicatum penè imperium, quid continebit illos qui hosti foris, tyranno præda sunt domi? Ibraimus imperator exercitus, in acie interitũ quærebat, tyranno, quid faciet ille qui pecudis instar omĩbus prælijs atq; oppugnatiõibus obijcitur? illum domesticus vsus, & planè fraternitas tyranni placere non potuit, quid placabit illum cui aspicere tyrannum phas non est? Ibraimus omniũ rerũ affluentiam contu

meliam

meliam existimabat esse suam: quid cogitabit ille, qui ne spiritum quidem, quẽ ducat, & q̃ viuat, habet suum? Equidem ita puto: simulato ad tempus nomine, occultata Christiana mens, acerbior longe in tyrannum est, quã nos sumus. Nos mouemur alieno malo, illi suo: nos audimus, illi sentiũt: nos timemus, illi ferunt. Iccirco tanta acerbitate seruitutis commoti, vehemẽtius amissã religionem requirunt, quam nos possidemus. Sic enim se res habet, vt tum demum bona tua sentias, cum illis careas, & magis desyderes amissa, q̃ amabas possessa. Quod si qui sunt in hoc genere Turcico, qui tantarũ rerum iactura non mouẽtur, ij nobis metuendi non sunt. neq; enĩ phas est, vt eũ quẽ Deus reliquit, homo metuat. Deinde isti, vt puto, non meliore condicione fuerunt, liberi cũ erant, quàm nunc, cum sunt serui: ita vt illis solis seruire expediat: homines partim obscuri, partim ita stupidi, vt ne libertatem quidem, rem maxime homini propriam, intelligãt: tales sunt, vt accepimus, ex agricolis captis atq; ex agrestiũ hominum turba, quorũ opera tyrannus in fossis, in cuniculis, ac in uineis agendis intercũ abutitur: et si quãdo militibus parcit, hos oppugnatiõib' obijcit, vt in ijs omnis propugnatorũ impie

tas refri

tas refringatur. Ab ijs periculi nihil liberis est: non arma illi vestra, nō ora, vultusq̄ sustinebūt. Nisi forte quis etiā eū metuit, ne in acie in se incurrat, quē hostis in ergastulo compede vinctū detinet, ne aufugiat. Quāobrem nō est cur reformidetis eos, qui à vobis, & Christo defecerūt: partim quod ij, qui viri boni ac fortes sūt, nunquā obliuisci possūt suam hanc esse patriam, in qua nati, abluti, Christoq̄ dicati sunt: partim vero, q̄ ij qui harū rerū sensu nullo mouētur, suo & alieno iudicio sūt contēpti & abiecti. Restat ipsa p̄ se Turcica turba ignobilis quędā, & imbellis Asia, & certe eiusmodi, qualē cum olim domuisset Pompeius, hācq̄ contra C. Cęsarem bello ciuili duceret, vno prelio cum Cęsare cōmisso omnē amisit, & quidem nō sine risu C. Cęsaris, q̊d Pompeius ex gēte tam vili tamq̄ imbelli belli gloriam, atq̄ triumphos quęreret. Nūq̄ ista Asia in honore rei bellicę fuit: & si quādo vicit, numero hominū vicit non genere. Quod ego facile demōstrare possum, vobis pręsertim, qui vestra virtute earum gentium omes impetus sustinetis, quę in Asia habentur pręcipue: Scythiam dico, & Moschouiā. Nā siue quis robore militū, siue numero cōtendat, non facile reperiat alias prouincias tota in Asia

sia istis pares: quę ea authoritate in re bellica apud veteres fuerunt, vt & Martem apud eas gentes natū, & illis primis bellādi artē hūc ipsū deū tradidisse ferant. Et tamē hoc adhuc post hominum memoriā auditū non est, vt pari exercitu Asiaticis copijs sit à vobis aliqñ occursū: Tribus, q̄tuor, quinq̄ hominū millibus ad summum, hoc regnum satis munitum, contra omnē vim Asiaticā semper fuit. Vereor Equites ne cui imperio fingere videar: vobis certe qui exiguo milite viginti Scytharū milia ad Visnouiecz occidistis, v̄a hęc videri debent. Quid Starodubo capto, captiuorū multitudo nō ea fuit, vt omnē exercitū vestrū numero superaret: tot eñ supererant cędi, vt summus Imperator Ioannes Tarnouius timeret, ne suus exercitus vincere facili⁹ hostes, quàm captos retinere posset. Itaq̄ hō omniū mitissimus, gladio ī multos aīaduertere coactus est. Tantū ille metuebat sibi & suis à captis, cū planè deessent qui vinctos ducerent. Ex quo satis apparet, immanitate, feritate, numero, Asiam semper fuisse celebrē animo vero, ingenio, virtute, inferiorē cūctis: Europę prouincijs, à q̄bus contēpta atq̄ despecta semp̄ fuit. Quę eñ alia res Sigismundū Imperatorē olim incitabat cōtra Turcas:

que La

q̃ Ladislaum Regẽ vestrũ? quę Ludouicũ?
q ingentibus Turcarũ copijs territi nunquã
sunt? Nego aliam fuisse prȩter hanc quã vo-
bis dicã. Cum nihil in ijs viderẽt ingenui, ni
hil magni, nihil liberi, sed seruitia quędã cõtra
cta et latrocinijs assueta, degenerẽ vero ac ser
uilem turbã, sibi agẽt cũ hoc genere fugitiuorũ
certamen esse pro legibus, pro patria, pro ma
iorũ dignitate, pro gloria, pro imperio, decem
illis pro vno sunt visi. At infœliciter illis con
tẽptus is cessit. Fateor. Neq; ego nũc disputo
de illorũ facto, sed de animo: qui nunquã cre
uisset nisi ex indignitate atq; vilitate hostis,
quo fit, vt Turcę nunquã paucos aduersari-
os sine ingenti strage suorũ vincãt, victoresq;
hac parte putantur, quę superest cędi Nec mi
rum est victoriam illi parti tribui, in qua las-
sata virtus aduersarij non saciata conquieuit.
Itaq; Sigismundi, Ladislai ac Ludouici ca-
sus, animare vos in hostẽ magis debent, quã
terrere, nec cogitare vos conuenit, quo victi
sunt, sed quo animo in hostem ibant uidere,
quàm forti, quàm inuicto, quamq; excellenti
Mors semper est hominis comes, etiam si in
acie nunquam sis, sed in aliqua casa humili
delitescas. at virum bonum atq; strennuum,
spe bona proposita, fortunam armis quȩrere
decet,

decet, & eum finem boni consulere, quem de
us forsq; dederit. Hac mente vos semper fui-
stis, sicut & illi quos commemoraui, vt horũ
multitudini, paucitate vestra nõ cederetis, q̃s
libertate atq; dignitate superaretis. Nec iniu-
ria. Vobis eñ libertatem bello, vobis dignita
tem, vobis imperiũ, non alteri quȩritis: Secus
est in Tyrãnide Turcica. Quicquid bello q̃-
ritur, Tyranno quȩrit̃: victori nullum prę-
mium, victo certa pœna. Si augetur stipen-
dium militi, non honor cumulatur denario,
sed seruitutis intenditur cõditio, Prȩsto ad nu
tũ adsis, vide ne quopiã absis: hyemes, ęstus,
ymbres, frigora tolleres: asse notatus latere nõ
potes. Ille dat nõ vt honoret te, sed vt dato ser
uitutem notet tuã. O cõmemoranda premia,
ò honores p̄claros, ò expetendã conditionem,
in q̃ victor hoc solo differt à victo, fortis ab
imbelli, quod splendidius seruiat. Vbi sunt q
honores mirantur Turcicos? Dij velint vt il
los experiãtur quos laudant. Ignorant videli
cet isti, quis sit honor verus. Nõ est ęquus mi
hi credite, nec prefectura, nec purpura, nec sex
centi comites honor est. Siquidẽ honor verus
est illustre quoddã atq; excellens pręmiũ, con
sensu ciuium atq; liberorũ hominum, ob vir
tutem viro bono tributũ. Hęc igitur quę ser
uis à

uis à seruorũ domino tribuuntur, honoris lo-
co nos non ponemus: habeãt sibi illos fugaces
equos, habeant purpuras, auro abundent atq;
veste, prouincias etiã atq; regna obtineãt: om
nia ista quãtũuis pclara sint, atq; eximia, non
virtutis sunt prẽmia, sed autoramẽta seruitu-
tis. Quare prẽter metum nihil prorsus video
quod illos incitet in pugna. Duę em̃ sunt res
quę alacrem in acie faciunt militem, libertatis
amor, & priuati iuris spes: Quid em̃ est cur
pugnare velis, si neq; quicq̃ habes tui quod
defendas, neq; victor à bello liber vnquã q-
escas? Itaq;, vt inceperam dicere, cum Turcis
Tyrannus sit lex, ęquũ, bonum: & cũ vxor,
fortunę, liberi postremo, in manu sint Tyran
ni, non sane intelligo, quid nã illos inflãmet
in pugna, aut quę res suadebit illis, vt in fero
cem hostem libertate, dignitate, maiorum ex-
emplis, irruant. Iccirco in multis oppugnatio
nibus animaduersum est, vt in oppugnatiõe
Rhodiensi et Viennẽsi, fuste illos cogi ad mu
ros, vixq; atq; verbere adigi, vt vallum cõscen
dant. Sic vos hostium vrbes oppugnare sole
tis: ita Starodubum, ita Oppocam oppugna
stis: vbi vester Imperator non quomodo inci
taret vos, sed q̃modo prẽcipiti per ardua cur-
su volantes inhiberet, laborabat. Cur? quia
voluntate

voluntate, fide, virtute, incitati, nihil arduũ ad
vincendũ vobis putatis, vt etiã studio abre-
pti prẽcipiti, obuia pericula nõ videatis. Tur-
cę vero cum ad oppugnatiões atq; bella cor
pus non animum afferant, tanq̃ iumẽta sti-
mulis ad muros & in aciem cogũtur, in qua
magnanimũ hostẽ ac mortem prẽsentẽ versa
ri ante oculos vident. Dubitate nunc si pote-
stis de virtute vestra: & genus vestrũ si vultis
cõtemnite, Nil vos iuuent illa, libertas: digni-
tas: triumphiq; veteres tales aduersarios si ad
hoc metuimus, & si illos timemus, quos anĩo
consilio, virtuteq; vicimus. Verum si Asiam
vincere vobis paruum est, & si Scyticũ hoc
omne genus, atq; Turcicum armis vestris
sępe est perdomitum, istos seruos esse putate
vestros, quos non solum maiores vestri, vos-
q; in primis, sed omnes Europę prouincię
merito semper non sine certa victoria contẽ-
pserunt. Quamobrem iam vos coniectura
perspicitis, quàm inuictũ Turcicũ imperium
esse putetis, quod sustinẽt fratres vestri, quod
tuentur desertores fidei, promouent fugitiui,
continent natura serui atq; miseri. Sed cũ con
stet bellum hoc necessario esse gerendũ, impe
rium etiam Turcicũ debilitari bello frangiq;
posse, requiritur fortasse à nobis belli geren-
 di modus.

modus. Atq; vtinam, Equites, non in ea tē-
pora hęc deliberatio nobis incidisset, quando
non plus ab hostib. armatis nobis est pericu-
li, quàm domesticis nostris discordijs, quibus
etiā, si hostis non adsit, corruere tn̄ possumus
quas si retinere in aīo est, frustra oīs hęc à no
bis deliberatio suscipitur. Quid em̄ defende-
mus? num pacem, qua caremus? num liber-
tatem, quā amisimus, dum priuatarum rerū
cura auersi omnes à cōmuni bono sumus? dū
omnibus conuētibus atq; comitijs hoc solū
querit, quō ampliemus ornemusq; priuatū?
cōmunia vero hoc modo rectè se habere non
possunt. Nam sicut priuatū cōmodum ex cō-
muni crescit malo, sic etiam bonū cōmune, ex
priuato nascatur incōmodo necesse est. Fœ-
dus cum hoste ferire, à bello abstinere, in o-
tio viuere, cōmodum cuiq; est, sed ex ijs mor
bi publici nascuntur illi: luxus, discordia, desi-
dia, diminutio imperij, libertatis amissio: con-
tra vero, si imperium propagare, si gloriosè
viuere, si ab hoste metui vis, subeūda tibi sūt
omnia illa incommoda: deserendū est otiū, in-
termittenda vxor, negligēdi sunt liberi: frig-,
ęstus, hyemes tolerandę. Sic viuebant omēs
qui olim potiebantur rerum: sic viuit Turca
rum Rex: quē omnia agētem, & nunq̄ quie-
scentem

scentem meritò metuunt ij, qui nil curant ni-
si otium. Sic etiam viuebant maiores nostri,
qui colebant pacem propter bellū, fortunasq;
suas, non luxurię neq; desidię, sed bellorum
instrumenta esse volebant, quorū sapientiam
atq; prudentiam si fuerimus imitati, facile &
id quod expedit agemus, & in mutua cōcor-
dia atq; beneuolentia viuemus. Sic enim illi
vniuersā Remp. certis ordinibus definiuerūt,
vt quoniam discordia tum oritur, quando qs
suum relinquens, alterius fungitur munere,
ita constituerāt Rempu. vt quisq; negotium
ageret suū, & vt vni rei & suo muneri inten-
tus, facilius &, vtilitatem & concordiam ciui-
um suorum tueretur. Aratorum primū cōsti-
tuerunt genus, penes quos esset victus neces-
sarij cura. Secundum genus simile huic, sacer
dotū est, quos diuinę in nos voluntatis inter-
pretes esse volebant. Tertium, Equitum, quo
in ordine vos estis, custodes Reip. atq; firma
mentum cęterorum ordinū. In hac Repu ita
descripta cū viuerent maiores nostri, omnes
negotio intenti suo, facile tuebantur concor-
diam: nō prçripiebat aratrum colono miles:
non pugnabat pro gladio cū milite sacerdos,
sed arabat colonus, pugnabat miles, docebat
sacerdos. Sic colonus fruge, miles armis, lin-

gua sacerdos, operā in Repu. probabāt suā. Horum autē omniū Rex apud illos Iudex erat & arbiter, cuius in manu fideli honores erant positi, atq; pœnę: hocq; solum propriū esse ac vere regium putabāt, vt cuiusq; virtutis atq; ignauię in Rep. idē esset testis & iudex. In hac procuratione, omnibus suis opibus illum retinendū existimabāt, diligenterq; custodiendum, ne aliquo casu ab hac cōmuni vtilitate, ad priuatā suam atq; propriam vtilitatem delapsus, tangat tuum, non parcat meo; neue postremo Neronianas illas cantet cantilenas: Rex solutus lege: prīcipis placitum lex: id iustū quod regi vtile. Hoc ergo ex Polonia excluso, soli propemodū ex omnibus gētibus Tyrannū non vidimus, ita, vt adhuc finitimę gētes, formā bonorum regū à nobis petant, vt horum arbitrio pacē componant, & ab armis discedant, veluti huius sapientissimi, atq; parentis patrię, Sigismūdi Regis authoritate magnorū regū sępe placauimus dissensiōes: ob cuius in Remp. merita, filium, eo viuo, in celsa paternę dignitatis sede, collocauistis: cui salutē atq; fœlicitatē, cum ipsius optimi regis, tū etiam vestrę salutis, atq; communis reip. causa, sicuti facitis, velle & optare debetis. Sed videtis ne, cur dissensio inter

illos

illos nulla fuerit? cur in summa cōcordia atq; beneuolentia omniū ordinū vixerint? nō alia profectò ratione, nisi ꝙ quisq;, vt ostēdi, negotiū agebat suum, & suo quisq; ordine cōtentus sic viuebat, vt incōmoda sui ordinis cōpensans cōmodis, alterum ordinem non appeteret. Laboriosa siquidem est agricultura: sed à bello remota. Dura milicia: sed dignitate cōspicua. Obscurum est sacerdotium: sed tranqllitate cōmunitum. Ita ergo & cū hac ratione viuētes, vere gloriari poterant, se in optima Rep. viuere. Nos vero quomodo? pudet dicere Equites: liceat enim verū dicere, neq; molestum sit audire. Id quod tantopere afflixit Remp. quid illud est? inter ordines discrimen nullū: immò vero ex omībus ordinibns vnus ordo est factus. Fundos quęrimus: agros colimus: huc conuētus nostri, huc leges, huc iura spectant, quomodo fundus tuus sit meus: quomodo promoueatur agri limes: quo pacto terminus meus tui fūdi premat finē, itaq; harum rerū cura, omnē curam abiecimus belli, omnesq; illę pręclare artes, quibus hoc regnum creuit, extinctę sunt, cōmissariorum, Iudicum, causidicorumq; turba. Ergo centurio cessit iudici: miles cōmissario: imperator causidico: spreti, contempti, abiectiq; omnes

sunt, qui regundorum finiũ ampliandorũq; non tenent artes. O miserã remp. O regnũ cito periturum, nisi quãprimum animos vestros ad munus vestrũ reuocatis, nisi agros colonis relinquitis, nisi causidicos deseritis, ad ministros discordię vrę, quibus abundãt, & in primis charos habent ij, q̃ opprimũt vos, q̃ siluas depopulãt vras, qui om̃e ius atq; bonũ peruerterunt. Illa illa sũt vestra ornamẽta, ille est virtutis vestrę atq; glorię cãpus. Valachia. Moschouia. Russia. Vngaria. Harũ prouinciarum victorijs atq; tropheis nobilitata est virtus vestra, & in ista honoris atq; dignitatis sede, regũ vestrorũ testimonio, collocata sicq; ornata ab illis est, vt reges non ciues, domini nõ subditi, huius Reip. esse videamini. Et tu tamen tot exemplis nobilitatus, tot testimonijs maximorũ regum illustratus, abdes te in otiũ: latitabis in syluis: hostẽ negliges: stationẽ relinques: imperatorẽ deseres: arma etiam, ne quod belli signum domi tuę forte sit, conuertes in vomeres: viues cum iudice: causidico seruies, cõmissariũ sectabere: & cũ hac cohorte vicini insidiaberis agro: & tanq̃ in hostico, in ipsius fortunis, impune grassabere: Et adhuc, ó bone custos iuris publici, pacisq; communis, Equitis tibi vsurpabis nomẽ

cum tuus equus nunq̃ in acie fuerit, nunquã castra, nunquam hostem viderit: sed semper in dolore & in gemitu ciuium tuorũ sit versatus: & cum tu postremo ipse, pecunia aratoris tui, vendideris officiũ nominis atq; militię tuę. Non sic maiores nostri, Equites, non sic. Nunq̃ illi mercenario milite defendebãt patriam, nũquã imperata pecunia: & breuiter, vitã illi prius quàm officiũ relinquebãt. Quare in hoc vno occupatis, rarę erãt lites, iudex rarus cõmissarius, causidicus, ferè inauditus. Cur: quia nihil putabant ad se pertinere, nisi bellũ: villas vero, facultatesq; suas om̃es, q̃nti fecerint, indicant acta publica. Grandis possessio marcis tum emebatur centũ, qualis nunc non emitur tribus millibus: Ex hoc pretio apparet animus. Creuit pręciũ possessionũ nunc cur: quia creuit amor habendi, qui spolijs cõmunium rerũ res ornauit priuatas: quo fit, vt multi statũ hũc Reip. quo nunc vtimur anteponant illi qui olim fuit. Et ita mediusfidius est, si villas, si vxores, si seruos deniq; vestros videas, quis non miseros atq; inopes kmitas illos putabit, quis nõ demẽtes ac plane sui oblitos, Tarnouios, Tanczynskie, & Odrouaz, & ceteros illustres tum viros, qui veste, ędificio, conuictu, nihil o differebant à tenui-

orũ vita? Vidistis opinor in Visnice, in Tarnow, in Tanczyn, in Zinkouo, nonnulla ex illa vetustate derelicta, ornamẽta etiam illorũ, quibus tum vtebantur, quę nũc exagitantur risu publico. Quid vero erat illud, in quo exultabat virorũ illorũ virtus, aut in quo fuit, eritq́ʒ sẽper admirabilis? in liberè dicenda sẽtentia: in defendendis legibus, in propagãdis finibus: in tuenda patria. In hac ceu laudis & glorię palestra cõmissi viri illi certabãt inter se non quis illorũ esset ditior aut lautior, sed quis senator melior. Causidicũ nesciebãt: lites relinquebãt iudici: ipsi vero sũmę reip. pręsidebant. Itaq́ʒ merito tum florebat Polonorũ nomẽ merito finitimis erant formidabiles: merito pacẽ ferebãt non petebant, cũ suũ qsq́ʒ cum incõmodo tulit onus, propter salutẽ cõmunem, in qua quisq́ʒ putabat contineri & suã: vnde iuste, pie, ęqualiterq́ʒ viuẽdo, tantũ regnũ nobis condiderunt. Nunc vero in contrariũ abierunt omnia. Hostem timemus, pacẽ petimus, imperium amittimus, libertatẽq́ʒ ipsam vix retinemus. Cur? q̃a qsq́ʒ curat sua, cõia nemo. hostis adest, nõ tuemur: onust⁹ p̃da abit, nõ seqmur et cũ cõtra hostẽ vocamur. cõuentus prius agimus, leges explicamus, causidicos adhibemus, num hosti resistere liceat.

decer-

Decernit causidicus, arma esse sumẽda, si hostis intra fines regni adsit: sin exiuerit, nõ sumenda. At fuit, incendit, vastauit, abijt: quid tum postea? habeo priuilegium: sed hostis habet tua: habeat: mihi satis est id, q̃d reliq̃t. Ergo si tu neq́ʒ defendes id quod possides, neq́ʒ recuperas id quod amittis, quid restat aliud, nisi vt tu ipse quoq́ʒ pereas?

Sed facile inquies reprehendere cuiq́ʒ est, cõsulere vero solius esse viri prudentis. Proinde quid faciendum sit dicito. Scio, Equites qua authoritate, quoúe rerum vsu, prędítum esse conueniat eum, qui consilium alijs pręstare velit, quas res cum in me non reperiam, timide sanè ad hanc postremam partem atq́ʒ diffidenter accedam: vos quoniam me loqui voluistis eo animo me audietis, quo soletis eos, q̃s rebus vestris bene velle intelligitis: neq́ʒ vobis prima displiceant nisi prius, quem ad finẽ pertineãt, cognoscatis. Illud igitur sit iam positum, spem in pace positam nullam videri, & bello salutem quęri oportere. Hoc iam nemini vestrum obscurum esse arbitror. Maiorũ morem si sequemur, bellum geremus facile, si verò leges de stipendijs audimus, nõ sane intelligo, quomodo Turcarum resistemus Tyranno, quarum altera mercenario milite cõ-

 tra

tra leuiores excursiones vti censet, altera vulgo omnes egredi iubet, si hostis in regno sit, gratis, si vero extra militandum sit, stipendiū à rege decernit, quinq; marcas in hastatos singulos. Pecunia itaq; vt videtis opus est grandi, sine qua nihil boni licet sperare: paucis vero copijs Turcis obsisti non potest: omnes si fuerimus adnixi, vicimus Equites, & hoc nō propulsando sed inferendo bello. Omnibus itaq; stipendio est opus, de quo nunc iam cogitate, vnde nobis suppeditetur. Vobis imperare pecunia non potest, neq; vestris aratoribus, dum ipsi militatis. Regia vero vectigalia ad tuendam quidem Regiam dignitatem sufficiunt, stipendio publico non sufficiunt quę etiam à maioribus nostris in hoc ipsum instituta sunt, vt nihil, nec bello, nec pace, Regię maiestati desit, quod ad illius munus, administrationēq; pertineat. Si igitur neq; vos conferetis, neq; Regia pecunia tanto stipendio sufficit, quid bello fiet? aut quid est tertiū quod vobis stipendio polliceatur? Sed hic nobis occurritur, & quidem à peritis. Veterem hanc esse legem Casimiro magno Rege latā, quę vobis extra Poloniam militantibus stipēdium à Rege decernit. Equidem si hanc mentem huius legis esse scirem, quę inopia stipēdij ve

dij vestrę virtuti habenas iniiceret, vosq; à belli gloria ad ocium atq; inertiam reuocaret author vobis essem, Equites, quo perniciosissimam legem primo quoq; tempore tolleretis neq; antiquitati eum honorem haberem, vt in ipso pene Regni incendio: in lege vobis perfugium quietis & ocij queratis. At cum sciā maiores nostros in constituenda Repub. hoc in primis spectasse, ne Reges vestri plus legibus, et senatu, ī hoc regno possēt pecuniā regibus constituerunt tantam, quanta non exercitus alere, sed dignitatem suam rectè sustinere possent: ex quo apparet, cum leges de stipēdijs ferrent, non hoc eos spectasse, vt regios prouentus stipendiarios facerent. Hoc enim pacto nihil relinquerent Regi, stipendio etiā parum darēt: sed hac illi lege, vt ego arbitror regum suorum feroces animos certo legum insistebant iugo. Videbant multas Resp: temeritate Regum concidisse, cum aut potētiores bello lacessūt, aut homines vtiles Regno alienant, aut omnino bellum nō necessarium suscipiunt. Iccirco cum consimiles in suo Regno casus metuerent, placuit illis vt Rex cōmunicato consilio vobiscum bellum susciperet: quod si nollet necessario contineretur stipēdij inopia. Hoc itaq; illi modo reges suos docuerunt, consilio publico, non temeritate priuata

uata bella esse suscipienda, quare hac lege, vt videtis, non operam vestrã venalem regibus vestris proponebant, sed bella ab illis legitti me suscepta cum vestra authoritate atq; vtili tate coniũgebant. Hanc mentem legis maio rumq; fuisse vultis publicis expeditionibus planum facere possum, Equites. Nam & La dislaus contra Amuratũ patres vestros duxe rat, nullo stipẽdio dato; & Casimirus huius frater cũ Mathia bellũ in Silesia publice ges sit, sine sũptu suo: & a Ioanne Alberto Rege bellũ cũ Stephano Palatino gestũ est, absq; regis stipendio. Quid Sigismũdus hic sapiẽtis simus atq; gloriosissimus Rex non vltro ac sponte vestra oblata habuit arma, cõtra exter nũ hostem? Cũ ergo vos patresq; vestri tot & tantas res gesseritis: non pecunijs regũ ve strorum, sed beneuolentia illorũ adducti, sa tis docuistis, & quid de huius legis sententia iudicaretis, & quid vobis ipsis prescriberitis. bonitate nimirum vestrorũ regũ cõtra hostes excitari vos, nõ pecunia. Quã mẽtem cũ aliàs semper, tum vel nunc in primis retinere debe tis, vt nemo nostrũ immunitatem à bello, in verbis legum querat, neq; in tantis periculis, quõ ociosus, sed quomodo omnino sit saluus cogitet, vt omni tergiuersatiõe postposita, tra

ctabiles

ctabiles nos prebeamus sapientissimo atq; multis victorijs clarissimo regi: cuius cum ob sapientiã diuinam atq; prestãtem, tũ vero ob virtutẽ atq; fœlicitatẽ, ea autoritas apud om nes gentes est, vt hostes nõ minus nomẽ quã arma ipsius metuant, & amici societate ipsius & affinitate plurimũ gaudeãt: quorũ illi ma ximum numerũ adiũxit, cum opinio de illius singulari virtute prestãs atq; diuina, tũ vero res bene ac fœliciter geste, que tot tãtisq; vi ctorijs illustrate sũt, vt in spacio trigesimi qn ti anni, quo regnat, numerũ annorũ, victori arum numero sit propemodũ consequutus. Vñ non solũ multarũ prouinciarũ accessioni bus, quas deuicit, hoc regnũ cõmuniuit, sed etiã potẽtissimorũ regũ, principũ, atq; natio nũ societate & affinitate cõfirmauit: Ita vt Germaniam, Italiã, atq; Vngariã certo ppin quitatis fœdere cũ hoc regno cõiunctas habe amus. Nã vt ceteros pretermittã duces, prin cipes, Tetrarchas, reges, cũ qbus connubia, affinitateq; coniunxit, Carol. v. Cesar tot na tionũ rex, mors atq; terror Turcarũ, atq; Sa racenorum, nepte ex fratre in matrimonium regio filio data, Hispaniam, Italiam, & Ger maniã, vno societatis vinculo cum Polonia copulauit, Quid Ferdinandus, hac cadẽ sua

filia,

filia, non Bohemiam, bellicosũ regnum, Morauiam, item ac Silesiam, huic regno adiũxit, quę regna & prouincię huiusmodi sũt, Equites, vt & ingenio & in re bellica pręstantia, facile cęteris regnis antecellant. Nã vt de Germanis loquar, quibus hęc laus omniũ consensu tribuitur solis, vt bellicam virtutẽ parẽ cũ ingenij pręstantia obtineant. Nã & ingenio huiusmodi sunt, vt om̃es bonę artes, oĩa pręclara studia, quibus ad humanitatẽ instituimur, è tenebris ĩ lucem ab illis sint reuocata, atq; hũano generi restituta. Rei vero bellicę laus, quę maior esse potuit, aut quo signo illustrari alio debuit, quã quod omnium gẽtium consensu, nomen Romani imperij à Latinis & grecis ad Germanos sit trãslatum, vt multis tempestatibus iactatum atq; afflictum, in Germaniam, quasi in quendam fidum portum, sit eiectum: in quo priscam maiestatem, ac veterem dignitatem, recuperauit. Hęc igitur Germania, cum affinitate nobis socia est, atq; amica, tum vero bis oppugnata Vienna, amisso nuper exercitu, Styria etiam & Carinthia depopulata, de summa sui imperij timet, et hęc eadem pericula seruitutis, quę & vos, metuit, bellum nũc post tot infoelices casus publice parat, Carolo Ferdinãdoq; ducibus

cibus: quorũ alter Germanos ac Hispanos, alter Morauos ac Bohemos, aduersus suũ & vestrum hostem ducunt, vos ob cõmune periculum in societatem belli vocant, vosq; orãt: ne foedere Turcico, neue illius societate inducti, cum Christianos omnes, tũ vos postremò ipsos, in miseram atq; calamitosam seruitutem prodatis. Quid eñ nunc vobis ad salutem deest: num copię: quę ex vestro ordine confici possunt, ad hominũ centum milia: num Rex: cuius prudentia magis quàm armis hoc regnum ad hanc diem stetit: nũ duces: quorum nobis magna est copia, quid eñ de ijs dubitetis, cũ salus atq; vita vestri imperij, Ioannes Tarnouius, singulari Dei summi beneficio, ad hęc tempora huic regno natus seruatusq; imperator est: cuius eximia virtus, varijs & diuersis generibus bellorum sic exercitata absolutaq; est, vt omniũ summorũ imperatorum omnis ante se memorię laudẽ facile sit consequutus: qui quoniam ob salutẽ huius Regni nat⁹ susceptusq; imperator est, frui debet hęc respu, dum licet summi hominis vita, atq; virtute, in eoq; ipso spem bene gerendę rei collocare: qui grauibus ac difficillimis huius regni temporibus, spem vestram sępe ac omnium opinionem superauit. Est

preterea

ꝓterea vobis vir sūma authoritate sūmoq͂ cō
silio prędit us, Petrus Cmita, qui pene puer in
militię disciplinam profectus, maximis bellis
acerrimisq͂ hostibus miles fuit Maximiliani
Cęsaris summi imꝑatoris: in cuius exercitu,
cū multa documēta virtutis atq͂ ꝓ̄stantię suę
edidisset, sic ab illo ꝓbatus in Poloniā patriā
suā est reuersus, vt & ab optimo Rege Sigis
mundo dignus summis honoribus haberet,
& vobis ita sit fuitq͂ semper gratus, vt neq͂
authoritate grauior quisquā, neq͂ voluntate
sit apud vos maior. Hoc homine ad oīes ve
stros casus recte vtemini, Equites, cuius fidē
erga vos consiliū, voluntatemq͂ prestantem
sępe estis experti. Longum est cōmemorare
cęteris: de quibus magnū est vos hoc sentire,
eos esse tales, qui & cōsilio vos regere, & vir
tute tueri, & cōstantia cōseruare possīt. Quid
igitur reliquū est, nisi vt hanc facultatē prę-
sentis temporis conferatis ad salutē vestram,
neq͂ cōmittatis, vt cū vobis à Deo oīa sup-
peditata sint, vos ipi vobis deesse videamini:
quanti eīm hoc est Equites, aut quomodo di-
uinę in vos voluntati non tribuendi, qđ Ger
mani, Bohemi, Moraui atq͂ Hispani, poten
tissimę gentes, bellum gerunt cum eo hoste,
qui nulli magis quàm vobis insidiatur: qua
occasi-

occasione si vtemur nunc, licebit nobis in per
petuū esse saluis: sin vero dimittim⁹ tātā occa
sionē, q̄nta alias nūq͂ fuit, nō intelligimus. q̄n
tū ꝓ bñficio debemus deo, & idē nobis eue-
niet, q̄d stultis solet, q si qd boni à fortuna il-
lis oblatū est, quod illo male sūt vsi, nullā for-
tunę gratiā habēt: sapiētes cōtra: quod re for-
tuita bene vtūtur, magnā ꝓ munere fortunę
referūt gratiā. Qñ, Equites, qñdo salutē ve-
strā cū libertate defēdetis, si nūc illam neglige-
tis: nimirū respōdebitis, qñ necessitas postrēa
incubuerit. Et est q̄sq͂, qui libero homini et
ingenuo aliā necessitatē putet, gerēdi negocij
pręter delicti pudorē: nā plage, stimuli, carcer
seruorū necessitas est, nō liberorū beneq͂ in-
stitutorū hominū. Quod si nos in aliud tps
reijcimus, metuo ne sera nimis pœnitentia,
dicamus. Nō putarā, q̄ postrēa solet esse icau
torū excusatio. Mlta nūc hniusmōi dicere pos-
sūt Vngari, mlta Gręci, mlta Illyrij: et breui ē
mlta, ab hoc Tyranno q oppressi sūt, singuli
Verū qd ꝓdest illis nūc illud dicere, nō puta-
rā: Sic eīm se res habet. Dū in cōcitato tēpe-
stuosoq͂ mari salua est nauis, tū nauclerū, &
nautas, et q vehūt, diligēt singlos curare op-
tet, ne qs neq͂ volēs neq͂ nolens euertat na-
uim: q̄d si tēpestatis, marisq͂ vis, euersā nauē
obruerit

obruerit, nihil ꝓdeſt ãplius, neqꝫ gubernator neqꝫ nauta, neqꝫ vector. Sic vos Eqtes Poloni, dũ ſalui ſumus, dũ florẽtiſſimũ regnũ obtinemus, dũ integras vires, dũ authoritatẽ, dum opes habemus, cogitemus, quõ ſimus ſalui atqꝫ liberi. Nihil nobis deeſt: nõ rex, non Senatus, nõ copię: q̃ bona quidẽ ſũt, ſed ita, vt vos illis vtemini. Quid em̃ nobis ꝓderit ſapientẽ eſſe regẽ, ſi nos verbis legum militiã recuſabimus gratuitã: qd duces optimateſqꝫ veſtri ꝓderunt, ſi nos in ipſo hoſtium cõſpectu diſputabimus, de priuilegiorum & de legum iure: et ſi ea, q̃ domi in pace ſunt tractanda nos in aciem ꝓducemus: de ijſqꝫ relicto hoſte inter nos contẽdemus: id q̃d alias magno cũ Reip. detrimẽto à nobis eſt factũ. Quare nihil omnino ſperandum eſt boni, niſi, vobis volẽtibꝫ ſapientiſſimi regis et ſenatus grauiſſima authoritate, bellum fuerit adminiſtratum: tum vero ſocietas atqꝫ amicitia primo q̃qꝫ tempore vobis cũ Germanis cõiungẽda eſt: quos & ſi promptos, ſua ſponte, legationibus tamẽ excitetis: principes etiã illorum in mutuã beneuolẽtiam ponatis, pacẽqꝫ inter illos cõcilietis: & q̃m ea authoritate eſtis, vt etiã regere & docere errantes poſſitis, detis operã quo fidei controuerſias in aliud tẽpus reijciant: nũc vero, cum armis non argumentis Machometus fidẽ Chriſti demolit̃, rogandi à nobis ſũt, ne periculo nr̃o velit̃ videri ſapiẽtes. Res non ferenda ꝓfectò, ita viles Chr̃ianos om̃es quibuſdam videri, vt in noſtro ſanguine exultẽt arbitratu ſuo, ita vt etiam à ꝓuinciarum & regnorum cura auocent principes et reges inaniſſimis ſuis queſtionib. q̃s, impunitate opinor adducti, aliã quottidie gignunt ex alia. Quapropter miſerant̃ aliquando noſtri: conſyderẽt, q̃nta diminutio imperij Chriſtiani ſit facta: clades etiam priores et has recentes recordent̃: ſeruitutẽ ſibi & nobis im̃inẽtẽ aſpiciant: nos ſupplices exaudiãt: ne velit in calamitatibus noſtris oſtẽtare ingenij ſui acumẽ.

Hęc ego faciẽda vobis cenſeo, Equites: ſed illud in primis, vt vosipſi reiecta priuatarum rerũ cura, om̃i opera, ſtudio, diligẽtia, in hoc bellum incumbatis, in quo vno poſita eſt ſalus vr̃a. Hęc mihi viſa ſũt ad cõmunem vtilitatẽ pertinere: quod ſi quis potiora habet ſurgat, & dum tempus eſt cõſulat: quodcũqꝫ vero fueritis ſecuti, id ratum Deus atqꝫ firmum habeat, ſalutiſqꝫ noſtrę atqꝫ libertatis ꝓprium, perpetuumqꝫ eſſe velit.

Cracouię apud Hieronym. Vietorem.
M.D.XLIII.

Vza quidē, sed minime,
Est quasi surdo narrat fabulaq[ue]
exequit

In Stemmata Cmitæ.

Vnda, perennis eas, crescentibus auctior undis,
Et nunquam glacie te mala claudat hyems.



Doi Poloni Equites. No
attendunt illius Ouidy
Tunc tua res agi. cu[m] proximus paries
ardet,
ad in utraq[ue] aure dormiunt